



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

De eadem re. xxxviii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

D. BURCHARDI. EPIS. VVORMAC.

enim eis licebit ultra militiæ cingulum sumere, & nuptiis atq; coniugij copula uti, quia sacri canones hoc eis non consentiunt.

De illis qui infantes suos non sponte interficiunt.

Caput XXXVI.

*Ex cõcil.
Triburi.
cap. 21.*

SI quis filium suum non sponte occiderit, iuxta homicidia non sponte commissa pœniteat.

De illo qui uxorem legitimam sine iudicio interfecerit. Cap. XXXVII.

*Ex decre.
Pij papa.
cap. 26.*

QUicumque propriam uxorem absque lege, vel sine causa & certa probatione interfecerit, aliamque duxerit uxorem, armis depositis publicam agat pœnitentiã. Et si contumax fuerit, & episcopo suo inobediens extiterit, anathematizetur, quousque consentiat. Eadem lex erit illi, qui seniore[m] suum interfecerit.

De eadem re. Cap. XXXVIII.

*Ex cõcil.
Moguti.
cap. 1.*

SI maritus uxorem, aut uxor maritum interfecerit, ac iudicium sit super eos, dicente domino: Non confidetes personam pauperis, nec honores vultu potentis. Et post pauca: Ita, inquit, paruum audietis ut magnum, nec accipietis cuiusquam personam, quia Dei iudiciu[m] est. Idcirco vterque eorum in huiuscemodi criminis actione negauerit, pari iudicio examinetur. Si negauerit & non potest vinci manifestis indiciis, si liber est, iuret cum duobus cim: si seruus, feruenti ferro se purget. Sin autem uxor moriens maritum vno vel duobus audientibus de morte eius inculpauerit, non ideo erit victus, sed si liber est, cum LXII. iuret: si seruus, super XII. vomeres feruentes se purget. Eadem lex erit marito, uxorem accusanti.

De eadem re. Cap. XXXIX.

*Ex concil.
Elbertã.
cap. 85.*

SI mulier maritum suum causa fornicationis veneno interfecerit, aut quacunque arte perimere facit, quia dominum & seniore[m] suum occidit, seculum relinquat, & in monasterio pœniteat.

De eadem re. Cap. XL.

*Episto.
Paulini*

Admonere te cum lachrymis & multo gemitu curam filii. Hei tulle, si tamen filius dici debeas, qui tam